

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Politische Urkunden von 1266 bis 1332

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1886**

1295

[urn:nbn:de:bsz:31-326704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326704)

ad ecclesiam dictarum sororum in festis subscriptis videlicet nativitatis domini, epiphanie, resurreccionis, ascencionis, pentecostes et in quatuor festivitatibus gloriose virginis Marie et in festo omnium sanctorum, sancti Michaelis archangeli, sancti Johannis baptiste et quatuor ewangelistarum et precipue sancti Marci ejusdem ecclesie patroni et in festis sanctorum Laurencii, Vincencii, Stephani et Petri martirum et sanctorum Nicholay, Martini, Augustini, Gregorii et Dominici confessorum et beatarum Katerine, Margarete, Cecilie, Lucie et Agathe virginum et beate Marie Magdalene et sancte Elizabet et in omnibus dedicacionibus ejusdem ecclesie et altarium ibidem constructorum et per octavas omnium festivitatum predictarum octavas habencium pia devocione accesserint, vel qui ad luminaria ornamenta seu aliqua alia necessaria ipsius ecclesie manus porrexerint adjutrices vel in ultimis voluntatibus quicquam legaverint ecclesie prelibate, necnon qui pro animabus omnium illorum, quorum corpora in cimiterio predictarum sororum requiescunt humata, orationem dominicam cum salutacione angelica dixerint mente pia, singuli singulas dierum quadragenas de injunctis penitenciis, dummodo consensus diocesani ad id accesserit, relaxant. «licet is de cujus munere.» datum apud sanctum Petrum anno domini 1295, pontificatus domini Bonifacii pape octavi anno primo. 1295 [nach Januar 23] Rom St. Peter<sup>1</sup>.

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 89 fasc. 31 or. mb. c. 17 sig. pend. Die wohlerhaltenen rothen Siegel hängen an gelb-rothen Seidenschnüren einzeln oder in Gruppen von zwei bis sieben Stück. Ueber jedem ist auf dem Bug von gleichzeitigen Händen Name und Stand des Sieglers vermerkt. Auf dem Rücken tief rechts pro fratre Johanne.*

195. Andreas Liddensis, Maurus Ameliensis, frater Michael Albaniensis, Aymardus Lucerie, Daniel Laquedoniensis, Paulus Melfectensis, Pasqualis Cassanensis, Franciscus Senogaliensis, Azo Casertensis et Fredericus Spirensis episcopi cupientes, ut monasterium sancte Katerine monialium prope muros Argentinenses secundum instituta fratrum predicatorum vivencium congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictum monasterium in festis subscriptis, videlicet nativitatis domini, resurreccionis, ascencionis, pentecostes, in singulis festis gloriose virginis Marie, in festo omnium sanctorum, sancti Michaelis archangeli, sanctorum Johannis baptiste euangeliste, singulorum apostolorum, sanctorum Laurencii, Stephani et Petri martirum, beatorum Nicholay, Martini et Dominici confessorum, beatarum Margarete, Agathe et Cecilie virginum et precipue in festo sancte Katerine ejusdem monasterii patrone, in festo sancte Marie Magdalene, in die dedicacionis monasterii et per octavas predictorum festorum devote<sup>a</sup> accesserint, aut qui ibidem divinum officium audierint vel ad fabricam luminaria ornamenta seu ad aliqua alia necessaria ipsius monasterii manus porrexerint adjutrices aut in ultimis voluntatibus quicquam facultatum suarum legaverint, singuli singulas dierum quadra-

<sup>a</sup>) et — devote auf Rasur.

<sup>1</sup> Vergl. nr. 106 und nr. 204.

genas de injunctis penitenciis, dummodo consensus diocesani ad id accesserit<sup>1</sup>, misericorditer relaxant. «vite perhennis gloria.» datum Rome apud sanctum Petrum anno domini 1295, pontificatus domini Bonifacii pape octavi anno primo. 1295 [nach Januar 23] Rom St. Peter.

5 *H aus Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 17 or. mb. c. 10 sig. pend. Die meist wohl erhaltenen rothen Siegel hängen an roth-gelben Seidenschmüren, über jedem auf dem Bug Vermerk des Sieglers wie bei nr. 194.*

196. *Bischof Konrad von Straßburg bestätigt den Franciskanerinnen am Roßmarkt alle ihnen früher bewilligten und namhaft gemachten Indulgenzen. 1295*  
10 *Februar 26.*

Nos Cūnradus dei gratia Argentinensis episcopus notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos devotarum in Christo sororum monasterii sancti Francisci in Argentina siti juxta locum, qui dicitur rossemerket, ordinis sancte Clare precibus inclinati omnes indulgentias ipsis et earum monasterio a quibuscunque  
15 episcopis seu pontificibus concessas, que nostra confirmatione indigebant, auctoritate ordinaria confirmavimus et ratas habuimus et habemus ac tenore presentium confirmamus. et ut earundem indulgentiarum quantitas seu numerus facilius et conpendiosius posset in noticiam publicam Christi fidelium pervenire, easdem indulgentias  
20 universas jussimus presentibus annotari: prefato igitur monasterio inchoato primitus et fundato sub anno domini 1251<sup>2</sup> in honore beati Francisci diversi pontifices seu episcopi processu temporis eidem unum annum et unam karrinam et quingentos et octoginta dies de cottidianis indulgentiis contulerunt. postmodum transactis triginta  
25 quatuor annis predicto loco in rebus et personis per divinam clemenciam non modicum sublimato, item tribus altaribus in ecclesia dictarum sororum constructis, scilicet altari majori in honore beati Francisci et sancte Clare et altari minori ad dextram  
30 partem versus stratam publicam in honore omnium angelorum et altari minori versus claustrum ad sinistram partem in honore omnium sanctorum, item in festo apostolorum Symonis et Jude et sequenti die ecclesia et choro et altari sito in choro in honore beate virginis Marie per fratrem C[onradum] Tullensem episcopum de nostra  
35 speciali licentia consecratis in festo dedicationis ecclesie et chori et duorum altarium majorum, quod post festum pasche in dominica, qua cantatur Misericordia domini, celebratur et per octo dies continuos, indulgentie unius anni et quadringentorum

October 28

<sup>1</sup> *Auf einem Transfix bestätigt Bischof Konrad von Straßburg diese Indulgenz und gewährt seinerseits einen Ablass von 40 Tagen. 1296 December 4 Straßburg. or. mb. c. sig. pend.*

35 <sup>2</sup> *In demselben Saalbuch ist Folgendes von einer Hand des 14. Jahrhunderts vermerkt: anno domini 1251 constructum est monasterium in foro equorum et in die 3 nonas marcii dedicatum est altare majus in honore beati Francisci et ipso die fuit eciam dominica Invocavit. et postea in die, quo est pridie idus aprilis, clausum est ipsum monasterium honestis et religiosis personis de ordine sancte Clare ad honorem et gloriam omnipotentis dei amen. Es folgt darauf ein Verzeichniß der Ordensschwestern, dessen Ordnungsprincip nicht recht ersichtlich ist, wohl aber, nach spätern Eintragungen zu schließen, auf chronologischer Folge beruht.*

März 5

April 12

dierum et triginta karrinarum prefato monasterio a diversis pontificibus sunt concessae. in dedicatione autem altaris minoris dextri, que celebratur in dominica, qua cantatur Invocavit, et in dedicatione altaris sinistri, que celebratur in proxima dominica post decollationem Johannis baptiste et per continuos octo dies, indulgentie unius anni et quadringentorum dierum prefatis altaribus ab eisdem pontificibus sunt concessae. item sepedicto eciam loco in festis quatuor beate virginis per octo dies continuos et in festo sancte Clare unius anni et quadringentorum dierum et triginta karrinarum, item in festo sancti Francisci et sancti Antonii unius anni et quingentorum dierum et triginta karrinarum per octo dies continuos, item in festis natiuitatis domini, pasce et pentecostes et omnium sanctorum et angelorum per octo dies unius anni et octoginta dierum, item in festis omnium apostolorum per octo dies a prefatis pontificibus triginta karrinarum indulgentie sunt collate. datum anno domini 1295, 4 kalendas marcii.

*H aus Straßb. Hosp. A. Protoc. nr. 87 St. Clara Saalbuch von einer Hand des 14. Jahrhunderts eingetragen auf einer Seite mit zwei Columnen. Die Initialen der einzelnen Absätze und das Datum sind mit rother Tinte geschrieben. Am Schluß ist bemerkt: zu diesem vorgeschriben ablas gab uns der erber herre bischof Johannes von Strazburg von siner gewalt vierzig tage.*

197. Conradus episcopus Argentinensis gracias et indulgentias ab Rogero sancti Severini archiepiscopo etc. [*cfr. nr. 192*] ecclesie sancti Arbogasti extra muros Argentinenses concessas ad quatuor festiuitates, videlicet pontificis sancti Arbogasti, in dedicatione templi, sancti Augustini et in annunciacione virginis Marie ac per earundem octavas applicat, quia ad festiuitates alias nominatas populus cum per undaciones aquarum tum propter alia impedimenta convenire non poterat. « ex parte dilectorum. » datum anno domini 1295 feria 5 post ascensionem domini. 1295 Mai 19.

*B aus Straßb. Bez. A. G fasc. 1700 cop. chart. sec. XV aus dem Privilegienbuch von St. Arbogast fol. 6.*

198. Bischof Konrad von Straßburg gibt im päpstlichen Auftrage einem Straßburger Cleriker Johannes Dispens betreffend den Makel seiner Geburt. 1295 September 28 Dachstein.

C[onradus] dei gracia episcopus Argentinensis [Johanni nato Johannis]<sup>a</sup> . . . . Argentinensi salutem in domino. litteras domini . . pape recepimus in hec verba: Bonifacius episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Argentinensi salutem et apostolicam benedictionem. accedens ad presenciam nostram [dilectus filius Johannes Johannis] . . . Argentinensis nobis humiliter supplicavit, ut cum eo, qui, sicut asserit, ascribi desiderat milicie clericali, super defectu natalium, quem

<sup>a</sup>) Der Name ist hier wie im Folgenden mit Absicht durch Tinte unleserlich gemacht, der Familienname war nicht mehr zu entziffern.

patitur de subdyacono genitus et soluta, quod hujusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, eciam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer curaremus. ad te igitur remittentes eundem fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus consideratis diligenter circumstanciis universis, que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, si paterne non<sup>a</sup> est incontinencie imitator sed bone conversationis et vite, super quibus tuam intendimus conscienciam onerare, aliasque sibi merita suffragantur ad dispensationis gratiam obtinendam, secum super premissis, postquam fuerit clericali caractere insignitus, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum anime sue salutem videris expedire, ita tamen, quod idem . . . scolarius, prout requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem hujusmodi obtinere contigerit, se faciat ad ordines statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem, alioquin hujusmodi gracia quoad beneficium ipsum nullius penitus sit momenti. datum Laterani nonas februarii pontificatus nostri anno primo<sup>1</sup>. consideratis igitur diligenter circumstanciis universis, que circa ydoneitatem persone tue fuerant attendende, quia non incontinencie paterne imitorem sed bone conversationis et vite te esse invenimus, alias quoque tibi merita suffragari ad dispensationis gratiam obtinendam, prout tibi laudabile testimonium perhibetur, tecum super premissis, cum sis clericali caractere insignitus, auctoritate apostolica in Christi nomine dispensamus ita tamen, quod te, prout requiret onus beneficii, quod te post dispensationem hujusmodi obtinere contigerit, facias ad ordines statutis temporibus promoveri et personaliter resideas in eodem. actum et datum Dabichenstein 4 kalendas octobris anno domini 1295.

*S aus Straßb. St. A. AA art. 1396 or. mb. c. sig. pend. delapso.*

199. *Die päpstlichen Nuntien, Gentilis Erzbischof von Reggio und Reynald Bischof von Siena, geben dem bischöflichen Official von Straßburg Johannes Vollmacht, die für sie gezahlten Gelder von den einzelnen Kirchen und Klöstern der Straßburger Diöcese einzutreiben. 1295 November 21 Straßburg.*

Frater Gentilis miseratione divina archiepiscopus Reginus et Reynaldus dei gratia Senensis episcopus domini pape nuntii provido viro magistro Johanni officiali curie Argentinensis salutem in domino. cum nos pro quibusdam magnis et arduis ecclesie Romane negotiis de partibus Alamannie redeuntes<sup>2</sup> per civitatem et diocesim Argentinenses transiverimus pernoctando ibidem, a vobis solventibus pro clero civitatis et diocesis Argentinensis decem et octo libras Allensium pro procuracione nostra pro

a) *S rep. non.*

<sup>1</sup> Dieses Breve des Pabstes Bonifaz VIII von 1295 Februar 5 super defectu natalium findet sich nicht in den bisher erschienenen Registres de Boniface VIII, publ. p. A. Thomas. Es müsste auch eine der allerersten Urkunden dieses Pabstes gewesen sein. Seine Echtheit scheint mir bedenklich.

<sup>2</sup> Ueber diese Friedensbotschaft an König Adölf vergl. Kopp Gesch. d. Eidgen. Bünde III, 1, 172 ff.

tribus diebus, quibus fuimus ibidem, juxta mandatum apostolicum<sup>1</sup> et 20 s[olidos] Allensium pro una evectioe et 12 pro sigillis et scripturis notariorum recepisse fatemur. et quia onera, que dividuntur in partes, facilius subportantur, ut predictam summam pecunie cum justis et moderatis expensis ab ecclesiis et monasteriis civitatis et diocesis Argentinensis exemptis et non exemptis exigere imponere ac recipere valeatis secundum uniuscujusque monasterii et ecclesie facultates more solito proportionaliter dividendo, vobis plenam et liberam auctoritatem tenore presentium ducimus concedendam ita, quod inobedientes et rebelles per censuram ecclesiasticam compellatis. in cujus rei testimonium presentes literas nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. datum Argentine anno domini 1295, indictione 9, die 21 novembris. 10

*B aus Straßb. Bez. A. G fasc. 3465 fol. 79<sup>a</sup> cop. chart. sec. XVI.*

200. Die päpstlichen Nuntien nehmen die dem Domcapitel und bischöflichen Official von Straßburg für säumige Zahlung angedrohte Bannsentenz zurück. 1295 November 24 [Mülhausen].

Universis presentes litteras inspecturis frater Gentilis miseratione divina archiepiscopus Reginus et Raynaldus dei gracia Senensis episcopus domini pape nuntii salutem in domino sempiternam. cum nos auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, . . . dominis decano preposito et capitulo Argentinensibus et magistro Johanni officiali curie Argentinensis procuracionem nostram pro tribus diebus juxta mandatum apostolicum post aliam procuracionem nobis solutam<sup>2</sup> duxerimus per nostras litteras requirendum, credentes in Sleccitat diocesis Argentinensis moram trium dierum propter quedam impedimenta contrahere, alioquin ipsos, si mandatis nostris non parerent, in scriptis excommunicationis sententia ligabamus, et nos in dicto loco postmodum moram hujusmodi contingeret non habere nisi per unam diem<sup>3</sup>, ideo p[re]fatam sententiam excommunicationis latam contra dictos decanum prepositum et capitulum et officialem predictum, si inobedientes fuissent, tenore presentium totaliter revocamus. in cujus rei testimonium presentes litteras fecimus nostrorum sigillorum appensione muniri. datum Mlunsen anno domini 1295, indictione 9, die 24 novembris. 15 20 25 30

*B aus Straßb. Bez. A. G fasc. 2716 or. mb. c. 2 sig. pend. Da die Urkunde auf dem Wege von Schlettstadt nach Basel ausgestellt ist, so scheint Mülhausen mit dem Mlunsen gemeint zu sein.*

a) B nisi-diem übergeschrieben.

<sup>1</sup> In dem päpstlichen Geleitsbrief für die Nuntien von 1295 Mai 28 wird den Bischöfen anbefohlen, daß cuilibet diebus singulis in tribus libris turonensium parvorum pro suis et familiarium suorum necessariis ac de securo conductu necnon in evectioibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, liberaliter providere curent. *Vergl. Registres de Boniface VIII p. p. Thomas nr. 873.*

<sup>2</sup> *Vergl. nr. 199.*

<sup>3</sup> Für den einen Tag haben die päpstlichen Nuntien 6 Pfund vom Straßburger Clerus erhoben und von Johannes clericus beneficiatus in ecclesia Argentinensi gezahlt erhalten. 1295 November 27 Basel. *cop. ch. sec. XVI i. Straßb. Bez. A. G fasc. 3465 fol. 79<sup>b</sup>.*